

B.

Q. D. B. V.

D E

REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLVTORVM.

PRAESIDE

DANIELE NETTELBLADT

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONS. INT.

ET PROF. IVR. ORD.

D. XVII. MAI. ANNI MDCCCLXX.

DISPVTABIT

THEODORVS THEOPHILVS VRSINVS.

REGIOMONTO - PRVSSVS.

HALAE

LITTERIS BEYERIANIS.



V I R O

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

FRIDERICO ALEXANDRO

LIBERO BARONI

D E K O R F F

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CANCELLARIO
SVPREMO BORVSSICO

INTIMO STATVS ADMINISTRO

IVDICII AVLICI PRAESIDI

COLLEGII MONTIS PIETATIS DIRECTORI

ETC. ETC.

PATRONO SVO
INDVLGENTISSIMO
ATQVE
SINGVLARI PIETATE OBSERVANDO
FELICIA QVAEVIS ATQVE SALVTARIA
ARDENTISSIME APPRECANS
SEQVE CVM STVDIIS SVIS REVERENTER
COMMENDANS
HANCCE DISSERTATIONEM
SVMMMA ANIMI SVBMISSIONE
D. D. D.
T A N T I
ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
N O M I N I S.

CVLTOR DEVOTISSIMVS
THEODORVS THEOPHILVS VRSINVS



Q. D. B. V.

D E

REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLVTORVM.

CAPVT I.

OBSERVATIONES LITTERARIAE DOCTRINAM DE
DEBITIS FEVDALIBVS, EORVMQVE, SI SOLVTA SVNT,
REFVSIONE, CONCERNENTES.

§. I.

I INITIA DOCTRINAE DE DEBITIS FEVDALIBVS.

Sicco pede plerumque transire solent antiquiores iuris feu-
dalium interpres utrilibet doctrinam de debitis feudali-
bus. Huius rei causa haec esse videtur, quod nullus ad-
fit textus Iur. Feud. Longob. in quo debitorum feudalium ex-

A

prefsis



pressis verbis mentio fit, licet non desint textus huius iuris,
qui quoad rem ipsam de debitis feudalibus loquuntur, veluti
II. F. 8. v. E contrario. *II. F. 28 v. Vasallus.* *I. F. 6. v. mu-*
tus. Quae vero apud antiquiores feudistas de debitis feudalibus,
seu, vt loqui solent, oneribus feudi, a quibus distingunt one-
ra feudatarii, obueniunt, eo redire solent, quod disputent quor-
sum hoc vel illud onus referri debeat, nec non an pro onere
feudi detur actio realis: in debitorum feudalium diuersitatem
vero non inquirunt, nec tangunt, quantum ego recordor, do-
ctrinam de refusione debitorum feudalium solutorum, seu alia
huius doctrinae specialia argumenta, prout videre est ex *ICti*
Neapolitani Sec. XVI. BARTHOLOMAEI CAMERARII Repe-
titione L. imperialis de probita feudi alienatione p. 42. seqq.
si ad manus est editio qua vtor Francofurtana de a. 1599. qui
praeſertim *ex IACOBO DE ISERNIA* repetit eius de hoc ar-
gumento doctrinam.

§. II.

PROGRESSVS EIUS IN SECVLO XVII.

Aſt ineunte Sec. XVII. ferentiora habuit fata doctrina de
debitis feudalibus, eaque nunc, praeſertim poſt editas ab
Electore Saxonie **AVGVSTO** conſtitutiones, inter quas *P. 2.*
Conf. 46. desponit de debitis feudalibus, a DD. Saxonis ma-
gis magisque exculta eſt. Iam hoc ſeculo prodierunt specia-
lia

❧ ☰ ☯

lia de debitis feudalibus scripta, quorum recensum, cum de-
sit, quod miror, in LIPENII *Bibliotheca iuridica* articulus
specialis de debitis feudalibus, licet sub rubrica: *aes alienum*,
nonnulla scripta quae huc pertinent recenseantur, hic, quoad
scripta quae iam sec. XVII. prodierunt, dabo. Sunt vero
haec:

I. BENEDICTI CARPZOVII Tr. de *oneribus vasalli feuda-*
libus siue debitis in foro Saxonico ex feudo soluendis se-
micenturia positionum iuridicarum. Lipsiae 1654.

De hoc scripto ipse CARPZOVIVS in praemissa breui praefa-
tione narrat sequentia: „non abs re igitur exactiorem iuris
„huius singularis disquisitionem suscipere, & publico examini
„disputatorio in academia Lipsiensi subiicere constitueram:
„quantumuis vero immutata functione pristina, ac professio-
„rio munere relicto, propositum omni ex parte in effectum
„deducere non potuerim, attamen lucubrationes hasce, Le-
„ctor amicissime, tibi inuidere nolui, certa spe confisus, com-
„modi aliquid inde ad te & rempublicam litterariam redun-
„turum.” Infertum postea hoc scriptum EIVS *Volumini*
disputationum historico-politico-iuridicarum. Lipf. 1666.

Fol. pag. 611-689.

II. CASPARIS ZIEGLERI Diff. de *debitis feudalibus.* Vi-
temb. 1659



Frustra quaeris hoc scriptum iuris feudalis in **ZIEGLERI** *Dissertationibus selectis a GEORGIO BEYERO* Lips. 1712. editis. Haec collectio enim non nisi scripta iuris ciuilis, quae **ZIEGLERO** auctore prodierunt, continet. Secunda pars vero, cui **BEYERVS** destinuarat **EIVS** reliqua, sive & feudalia, scripta, nunquam prodiit.

III. IOANNIS EICHELII *Diss. de debitis feudalibus.* Helmstad. 1665.

Haec dissertatio allegari etiam solet sub **GEORGII ENGELBRECHTII, EICHELII** in munere professorio successoris, nomine, qui est verus eius auctor, eamque pro Licentia, sub **EICHELII** praesidio, eruditorum examini submisit.

IV. FRIDERICI GERDESSII *discursus iuris feudalis de oneribus feudalibus.* Gryphisw. 1671.

Prodierunt, ut constat, a. 1729. **FRID. GERDESSII** *Opera omnia* cura **AVG. BALTHASARIS**, in quibus hoc scriptum Tom **III.** pag. 305-331. obuenit.

V. BERTHOLDI BECMANNI *Diss. de alimentatione personarum ad successionem feudi inhabilium.* Altorf. 1681.

Hic primus est qui speciale argumentum doctrinae de feudalibus debitis pertractauit.

VI. I. PHIL. SCHLEVOGTII *de debitis feudalibus conclusiones.* Ienae 1683.

Hoc

Hoc scriptum duarum plagularum, non nisi breues de debitis feudalibus positiones continet.

VII. CASP. ALBERT. KLEINSORGH Diff. *de aere alieno ex bonis feudalibus soluendo.* Marb. 1692.

Hic Auctor primus est qui aës alienum feudale diuidit in necessarium & voluntarium, & posterius in ambilaterale & vnilaterale.

VIII. PETRI MÜLLERI Diff. *de aere alieno a successore feedi soluendo.* Ienae 1692.

Praeter haec scripta, alia hoc seculo, quantum scio, non prodierunt, si discesseris a ROMANI TELLERI Diff. *de oneribus feudi*, quam, cum ROM. TELLERVS, Scabinus Lipsiensis, a. 1688. mortuus, hoc tempore prodiisse certum est: ast, cum mihi non sit ad manus, annum, quo prodiit, definire nequeo. Ex tot scriptis specialibus de debitis feudalibus, iisque quae huius aëi ICti in compendiis & systematibus iuris feudalis, nec non in aliis suis scriptis, veluti CARPOZOVIVS P. 2. *Confl. 46.* BERLICHIVS P. 2. *Concl. 55.* GEORG. AD. STRVVIUS in Synt. Iur. Feud. Cap. XIV. de débitis feudalibus tradiderunt, satis patet, his iam temporibus hanc doctrinam magis excultam esse, & iam nunc eam maiori luce radiare.



§. III.

FATA DOCTRINAE DE DEBITIS FEUDALIBVS; IN SEC. XVII. IN
GENERE.

Licet vero ICti sec. XVII. iuris feudalis culturae dediti, maiores fecerint in doctrina de debitis feudalibus progressus: negari tamen nequit, eorum ICtorum qui post eos iurisprudentiam feudalem excoluerunt, et in nostro seculo vixerunt, vel adhuc viuunt, industriae, maiorem perfectionis gradum debere. Defendere quidem nequeo', hanc egregiam iuris feudalis particulam tanta luce iam radiare, vt maiori luce non indigeat, eamque ad summam perfectionem iam esse perductam: parum tamen a perfectione abest, estque insigniter emendata a iuris clientelaris interpretibus nostri aevi. Non solum enim doctrina de debitis feudalibus *generatim considerata* coepit incrementa: sed et recentissimis temporibus ad specialiora progressi sunt DD. iur. feud. dum et *singulis particulis* huius doctrinæ maiorem lucem accendere studuerunt, prout ex nunc dicendis patebit.

§. IV.

IN SPECIE QVOD DOCTRINAM DE DEBITIS FEUDALIBVS I) GENERATIM
CONSIDERATAM.

Ad incrementa doctrinæ de debitis feudalibus generatim consideratae, quae debet ICtis seculi in quo viuimus, refero
varias

varias debitorum feudalium diuisiones nouiter excogitatas, inter quas recentissima est diuisio eorum in debita feudalia *absoluta et respectiva*, cuius inuentionis gloriam reēte sibi tribuit, Generos. Dn. de BREMER in *Diss. mox laudanda* §. 11, quamque merito adoptauit G. L. BOEHMERVS in *principiis iur. feud. cap. X. §. 310.* Porro huc pertinent scripta de debitib⁹ feudalibus generalia, quae hoc seculo accesserunt prioribus iam re-censitis, suntque, quantum scio, tria sequentia scripta. **GVI-**
LIELMI BRAVNII Disput. de aere alieno ex feudo soluendo Ie-næ 1712. quae non nisi trita et vulgaria continet; **HENR. SIM.**
PLESMANNI, Icti Francofurtani, *Diss. de consolidatione feudi et allodii in Pomerania, praesertim vltiori* Francof. ad Via-drum 1722. quae, licet quoad titulum huc pertinere non videatur, quoad rem ipsam tamen huc referri debet; **IO. PAVL.**
KRESSII *Diss. de debitis ex feudis, praecipue Pomeraniae,* soluendis. Helmst. 1732. quae, cum modo memorata **PLES-**
MANNIANA dissertatione, reliquis scriptis de debitib⁹ feudalibus palmam praeripit.

§. V

2) SPECIATIM CONSIDERATAM.

Hic non substituisse ICtos huius aei⁹, sed eos vltiores progressus fecisse in doctrina de debitib⁹ feudalibus, docent eo-rum scripta, in quibus vnum alterumue thema speciale, quod
per-



pertinet ad doctrinam de debitis feudalibus, magis excultum.
 Licet vero et scripta de hypotheca et pignore feudali hic re-
 ferri possint et debeant, attamen ea hic recenseri ideo non opus
 esse iudico, cum apud LIPENIVM in bibliotheca iuridica,
 sub titulo: *Hypotheca feudal*is, obueniant haec scripta, licet,
 cum sit mancus, ita supplendus: SAMVEL STRYK Diff. de hy-
 potheca tacita in feudis Germaniae. Halae 1707. quae vero in
 Operum omnium STRYKII collectione obvia non est. IO. GOTTL.
 SIEGEL an hypotheca tacita in feudo debito feudali contra-
 batur. Lipſ. 1736. G. L. BOEHMERI Pr. de cessione hypothe-
 cae feudal^{is} absque domini consensu valida Goet. 1758. quae
 et eius observationibus iuris feudal^{is} num. XIII. inserta. IUST.
 HENR. MYLII Diff. de oppignoratione vasallorum et instru-
 mentorum feudalium Lipſ. 1744. HERMANNI BECKERI
 Comm. iur. feud. de traditione feudorum in pignus secundum
 placita iuris communis per Germaniam continentis et speciatim
 Mecklenburgici. Buerzouii 1767. Quod vero attinet reliqua scri-
 pta quae, praeter scripta doctrinam de refusione debitorum feu-
 dium solutorum concernentia, de quibus §. sequente agendum,
 specialia argumenta doctrinae de debitis feudalibus illustrant, talia
 sunt: A D. BALTH. WERNHER Diff. de impensis nuptialibus ex
 allodio petendis. Alt. 1704. HENR. HILDEBRAND Diff. de ex-
 cussione allodii ante feudum. Alt. 1712. GEBH. CHRIST. BA-
 STINELLER Pr. Num ea, quae ad descendam ab ultimo va-
 sallo

sallo eiusue liberis artem saltatoriam iam erogata, aut ad-
 buc eroganda sunt, tamquam aliud quoddam debitum feudis
 adeo cohaereat, ut successor feudalis ad eius refusonem in
 subsidium obstrictus sit? Vit. 1730. CHRIST. LUDOVICI
 CRELII Diff. de vasallo ad impensas in funusdecessoris fa-
 ciendas in subsidium obligato. Vitemb. 1737. IO. WILH.
 DIETMARI Pr. de successoribus in feudis regalibus ad agno-
 scenda debita a praedececessoribus contracta non obligatis. Ie-
 nae 1754. IO. AVG. HELLEFELDT Diff. de iure creditorum
 allodialium intuitu feudi et concursus feudalium. Ienae 1755.
 EIVSDEM Diff. de iure creditorum vasalli in percipienda ex
 fructibus feudi solutione. Ibid. 1762. CAROLI AVG. SALTZ-
 MANNI Diff. sub titulo: *residuum feudi pretium debitum feu-
 dale*. Lipsiae 1765. Qui legit haec scripta, eaque comparat
 cum scriptis praeteriti seculi, statim perspiciet, per ea doctrinam
 de debitis feudalibus insignia coepisse incrementa. Ad
 haec enim praeferunt referri debet, si doctrinae generatim sa-
 tis exculta specialia argumenta sigillatim et ex instituto per-
 tractantur.

§. VI.

FATA DOCTRINAE DE REFUSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLVOTORVM.

Haec sufficiant de fatis doctrinae de debitis feudalibus in
 genere. Quod speciatim attinet fata doctrinae de refusione

B

debi-



debitorum feudalium solutorum, nemo, quantum mihi quidem constat, ex instituto hanc doctrinam, in toto suo ambitu consideratam, pertractauit: sed potius, quae de hac refusione scripta disputataque sunt, concernunt tantum unam alteramue huc pertinentem quaestionem, praesertim ius heredum allodialium defuncti vasalli possessoris, repetendi debita feudalia ab eo soluta a praesenti feudi possessore, sicque partem quandam huius doctrinae. Quae enim de eo casu, quo debitorum allodium a defuncto vasallo contractorum, a feudi possessore vero solutorum, refusione soluens petit ab heredibus allodialibus vasalli, disputant DD. veluti CARPZOVIVS P. 2. *Conf. 46. Dec. 2.* ad doctrinam de refusione debitorum feudalium solutorum plane referri nequeunt. Interim iam vertente sec. XVI. huius aeuī Feudistae disputare coeperunt de refusione debitorum feudalium solutorum, prout patet ex IACOBI THOMIN-
GII *Decisionibus* a. 1579. primum editis, qui *Dec. 27. num. 33. seqq.* filiabus vasalli conditionem concedit contra vasallum, si tutores quid aeris alieni occasione feudi contracti soluerint. Nec minus ANDREAS RAVCHBAR in prima vice a. 1599. editis *Quaestonibus iuris P. 1. Quaest. 44. n. 10.* refusione debitorum feudalium consensuotorum, ab allodialibus heredibus solutorum, a feudi possessore faciendam esse statuit, refutatus ASTRVVIO in *Syntagmate iuris feudalis Cap. XIV. §. XXIV. num. 2.* Porro ICti Sec. XVII. non plane intactam reliquerunt

runt hanc doctrinam, licet nemo ex instituto eam tractauerit. Obuenit in **B R V N N E M A N N I** *Decisionibus* Decisio CXXVII, in qua negat filii, qui ex bonis suis feudum a debitis paternis liberauit, heredibus allodialibus, competere regressum contra successorem feudi. **M E V I V S** in *Decisionibus P. V. Dec. 55.* disquirit: heredes vasalli soluta ab ipso feudi causa debita, quando a successore repetent: contra quem disputat **P L E S M A N N** l. c. cap. 2. §. 19. 20. 21. vestigia eius vero premit **K R E S S I V S** l. c. §. 6. **G E O R G . A D A M S T R U V V I S**, praeterea quod, ut dictum, disputet contra **R A V C H B A R V M**, et hanc l. c. tractat quaestione: an vasallus soluta debita, pro quibus feendum oportinoratum, ab heredibus antecessoris allodialibus repetere possit? Nec desunt inter ICtos, qui sub initio sec. nostri floruerunt, qui praeter eos, quorum mentio iam facta, in scriptis suis quaedam, quae hoc pertinent, annotarunt. In **L Y N C K E R I** *Decisionibus* obueniunt binae decisiones quae hoc faciunt, nimurum Dec. 345. & 1073. **I O . H E N R . B E R G E R I** *Supplementa ad Electa discep. for. P. 2.* pag. 788. seqq. sicut diuersa iudicata refusionem debitorum feudalium solutorum concernentia. **C A S P A R H O R N I V S** in *Decade Observ. feud. Cap. IX.* disquirit: an si possessor feudi soluerit debita propter comparationem feudi contracta, nec non residuum pretii quo feendum emptum, successor feudalis heredibus allodialibus ea propter satisfacere teneatur? affirmatiue respon-



dens, & sententiam suam praeiudiciis comprobans. Praesertim vero nouissimi iuris clientelaris scriptores omnem operam & industriam collocarunt, in magis perpolienda hac doctrina. Nonsolum enim **BENEDICTVS BREMERVS**, Eques Bremensis, a. 1741. Goettingae edidit eruditum specimen inaugurale sub titulo: *Problema iuris feudalium, utrum debita feudalia a vasallo soluta heres allodii a successore in feudo repetere queat*, in quo ex instituto praecipuum theoriae de refusione debitorum feudalium partem vberiori calamo, ac ante a quo quis factum, explicauit, & contra heredes allodiales disputauit: sed & **IO. AVG. HELLFELDIVS** in Progr. *de herede allodiali debita feudalia a vasallo soluta repetente* a. 1755. Ienae edito, primas lineas huius theoriae duxit, dolendum vero nondum licuisse ei telam coeptam pertexere. His iungendi sunt **FRID. ESAIAS PVFFENDORFIVS** in *Obseru. iur. P. 1. obs. 242. & P. 3. obs. 137.* **DAV. GEORG. STRVBEN** in *den rechtlichen Bedencken* Tom. 2, Resp. 1. §. vlt. **IO. GEORG. ESTOR** in Disl. sub titulo: *Meleremata de scite separandis ab allodio rebus feudalibus* §. 37. & **CAR. AVG. SALZMANNVS** l. c. §. XV.

§. VII.

INSTITVTI RATIO ET ORDO DICENDORVM.

Quodsi nunc, quae ab aliis de refusione debitorum feudalium solutorum, praesertim de iure heredum allodialium debita

bita feudalia a vasallo soluta repetendi, disputata sunt, in sum-
 mam contraho, in duas diuersas sententias abeunt iuris feuda-
 lis interpretes. Allii enim negant simpliciter locum habere de-
 bitorum feudalium solutorum refusionem, praesertim heredi-
 bus allodialibus denegant ius soluta debita feudalia repetendi.
 Allii magis fauent refusioni debitorum feudalium solutorum, &
 praesertim heredibus allodialibus eam vrgentibus ma-
 gis fauent, pro casu diuersitate eam vel admittentes, vel re-
 iicientes. Ast hi inter se non conueniunt, in quibus casibus
 refusio locum habeat, in quibus vero ea non admittenda. Me
 quod attinet, in castris eorum milito, qui distinguendo inter
 diuersos casus, mox admittunt, mox reiciunt, refusionem de-
 bitorum feudalium solutorum, in ipsis casibus distinguendis
 vero recedo ab iis, qui mecum distinguendo bene docent.
 Ex mea sententia enim, si quaeritur de refusione debitorum
 feudalium solutorum, casus, quo heredes allodiales soluentis va-
 salli, petunt debiti feudalis a vasallo, cuius heredes sunt, so-
 luti refusionem, distinguendum est a reliquis casibus, in quibus,
 vel heredes allodiales defuncti vasalli qui soluerunt debita feudalia
 defuncti vasalli; vel ipse praefens possessor feudi; vel futuri feu-
 di possessores, solutorum debitorum feudalium refusionem pe-
 tunt. Hinc, praemissis iis quea in genere de refusione debito-
 rum feudalium solutorum praemittenta sunt CAP. II., de primo
 casu CAP. III. & de reliquis casibus CAP. IV. in specie agendum.

B 3

CAPVT



CAPVT II.

DE REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLVTORVM IN GENERE.

§. VIII.

ORDO DICENDORVM.

Non ideo, vt hic quid sit debitum feudale, & quotuplex illud sit: multo minus ideo, vt, quid sub refusione debitorum feudalium solutorum intelligam, explicari possit, in genere quaedam de refusione debitorum feudalium solutorum praemittenda esse censeo; cum sic peccarem contra regulas in dissertationibus conscribendis obseruandas. Potius hic generalia principia praemittenda esse censeo, quibus sequens tractatio initur, indeque ante omnia generatim definiendum, quando repetitio debitorum feudalium solutorum locum habeat, tumque determinandum in genere, qui casus hic a se inuicem distinguendi sint, quos vero, licet ab aliis distingui soleant, a se inuicem distingui nil interest & refert. Tum enim inoffenso pede ad specialiora fieri potest progressus.

§. IX.

PRINCIPIVM GENERALE DE REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM A IPSO DEBITORE SOLVTORVM.

Qui soluit debitum, quod verum debitum est, vel is est, qui ad illud soluendum obligatus est, vel tertius, qui ad illud

debitum, quod sua solutione extinguit, soluendum, obligatus non est. Cum vterque casus obuenire possit, si quaestio est de refusione debitorum feudalium solutorum, de vtroque generale principium praemittendum. Quod itaque attinet priorem casum, in quo quis soluit verum debitum, ad quod soluendum ipse obligatus est, in regula nuncquam repeti posse id, quod solutum est, concedo. Ratio specialis itaque adesse debet, quoties vel soluens ipse, vel eius heres, repeterere vult, quod solutum est ad extinguendum verum debitum, *qualis adest, si alius, a quo refusio debiti soluti exigitur, cum eius, qui refusionem urget, damno locupletior est: e contra vero cessat roties, quoties nemo adest, qui inde, quod debitum solutum sit, cum damno alterius factus est locupletior.* Hoc euidentissimum principium, tamquam axioma, sine vltiori demonstratione pro vero adsumi posse, confido, & quemlibet etiam eius ampliationem absque vltiori demonstratione admissurum esse spero, nimirum, *si eum a quo exigitur refusio debiti soluti, cum damno eius, qui debitum solutum repetit, locupletiorem esse constat, nil interesse, siue per versionem in rem alterius, siue per negotiorum gestionem, siue quoconque alio modo factum sit, hanc adesse causarum figuram, sub qua is a quo refusio exigitur, cum damno eius, qui eam urget, locupletior est.* Sufficiens enim adest ad refusionem petendam fundamentum, si modo is cum nostro damno est locupletior, a quo

quo sit repetitio soluti debiti. Vnde nec admitti potest, *cessante vel versione in rem alterius, vel negotiorum gestione, cessare omne fundamentum, ex quo refusio debitorum feudali-um solutorum peti potest.* Quodsi nunc ad debita feudalia soluta ab eo, qui ad ea soluenda obligatus est, quae dicta sunt, applicantur, hoc prodit principium generale: *Si debitum feudale ab eo solutum, qui ad illud soluendum obligatus est, toties refusio eius locum habet, quoties adeat, qui inde, quod solutum sit, cum damno alterius locupletior est; licet nec ver-sio in feudum facta sit, nec dici possit eius negotia gesta esse, a quo refusio facienda.* E contra, si sub dicta hypothesi dici nequit adesse, qui cum damno soluentis, vel heredum eius, lo-cupletior est, cessat in totum refusio debiti feudalis soluti.

§. X.

R E S O L V T I O D V B I I .

Praeuidio dubium contra hanc thesin, quod, antequam vltierius progredior, resoluendum. Instas impossibile esse, fieri aliquem cum soluentis damno locupletionem, si soluens debitu[m] est ipse ille qui debet, quippe qui non nisi suum commo-dum promouet, secundum illam Germanorum paroemiam; *Wer Schulden bezahlet, bessert sein Gut,* sicutque hic concipi non posse damnum a parte soluentis. Speciem haber, fateor, hoc dubium: ast euanescit statim, si perpendis, non semper eum

eum qui debet & soluit, esse talem qui ita debet, vt praeter eum non adsit alius, qui debitor fieret, nisi solutione extinguatur debitum: id quod toties contingit, quoties per solutionem aeris alieni bonis auitis inhaerentis, ea a praesente possessore liberantur ab hoc onere. In hoc casu enim soluens quidem conditionem suam reddit eatenus meliorem, quod ab incommo- dis liberetur quae premunt debitorem, veluti a solutione vnu- riarum: ast, cum bona auita non sint sua, sed totius familiae bona, reuera pro aliis soluit, & post eius mortem is qui possidet auita sic liberata bona, ideo locupletior est, quoniam patrimonium suum nunc non diminuitur per solutionem debiti ab antecessore iam extinti. Quod vero soluens hic damnum sentiat, inde pater, quoniam soluendo diminuit suum patrimonium, nec tamen de- bitum tale est, ad quod soluendum tantum & solus obligatus erat. Habes itaque in hoc casu alterum, qui, licet soluens soluat quod ipse debet, tamen cum damno soluentis locu- pletior fit. Si plures casus desideras, ingenue fateor, me plures allegare non posse, nec opus est hoc fieri posse. Du- bium enim resolutum est, si & non nisi dictus casus concipi potest, in quo, licet soluat ipse debitor quod debet, tamen ad- est alter, qui ex hac solutione fit locupletior cum damno soluentis.

§. XI.

VLTERIOR RESOLVTIO DVBI.

Ast videtur me incidere in scyllam, dum vitare volo charyb-

C

dim.

dim. Si enim praesens possessor bonorum aitorum, ea a debito iis inherente liberavit, ne natam quidem dici posse successoris obligationem ad id soluendum videtur, sicque, cum nec in rem versio, nec negotiorum gestio hic concipi possit quoad successorem in bona auita, & in eo casu quem allegauit, vt appareat, casum, quo, licet debitum ab ipso debitore solutum, alius tamen cum damno eius fiat locupletior, esse dabilem, dici non posse successorem in bona auita cum damno alterius locupletiorem esse. Sed salua res est. Distinguendum enim inter obligationem ad debitum quod solutione extinctum soluendum, & obligationem ad restituendum debitum quod solutum est. Debitum solutum quod attinet, ad illud iterum soluendum successorem per successionem in bona auita obligatum fieri non posse, per se patet, sicque obligationem successoris ad id soluendum ne natam quidem esse, certum est. Vnde etiam concedo, dici non posse, soluentem quoad debitum solutum in rem praesentis possessoris bonorum aitorum aliquid vertisse, vel negotium eius gestisse, dum solutione debitorum bonis auitis inherentium ea ab hoc onere liberavit. Nego vero inde sequi, successorem nunquam cum damno aliorum inde locupletiorem fieri, quod antecessor soluerit talia debita. Et circa casum versionis in rem alterius enim, vt &, licet negotia alterius gesta esse dici nequeat, tamen fieri potest, esse aliquem cum damno alterius locupletiorem. (§. VIII.). Vnde,
quod

quod attinet obligationem restituendi quod solutum est, ea tamen oriri potest per successionem in bona auita, quae per solutionem ab antecessore factam ab aere alieno iis inherente iam liberata sunt, modo probari possit possessorem, licet nec versio in rem suam facta, nec negotium eius, soluendo debitum, gestum sit, alio modo locupletiorem esse cum damno aliorum. Semper enim hoc fieri, nec ego defendo. Ast nunquam hoc fieri, admittere nequeo, & dari tales casus in quibus manifestum est hoc fieri, ex infra dicendis clarius patet.

§. XII.

DE REFUSIONE DEBITORVM A TERTIO SOLVTORVM.

Sufficient haec de primo casu, in quo solutio ab ipso eo, qui debet, facta (§. IX.). Si tertius soluit verum debitum alienum, aliter res se habet. *Hic enim a debitore repetere potest, quod ita soluit pro eo, ut eum liberauerit a vero debito, nisi animo donandi facta sit solutio.* Ita soluentem tertium enim sua solutione efficere debitorem liberatum fieri locupletiorem, in aprico iacet; prout etiam, id fieri cum damno soluentis, per se patet. Licet vero DD. varios recensere solent casus, in quibus cessat repetitio, praeter eum, quo animo donandi solutio facta, de quibus consulendi sunt specialia scripta de hoc argumento, veluti HERTII Diff. de solutio-



ne pro alio facta Se^{ct}. II. §. VII. & CAROCII Diff. de solutione a tertio facta §. XVII.: attamen si, prout hic factum, determinatur solutio a tertio facta, nimirum eam ita factam esse, ut debitor a vero debito liberatus sit, sed absque animo donandi, exceptiones, quas DD. fingunt, in fumum abeunt, & nec tum, si pro inuitu & contradicente debitore solutio a tertio facta, cessat repetitio per l. 53. ff. de solutionibus & liber. Non opus esse itaque iudico, mehas exceptiones sigillatim expendere & sub examen vocare, contentus hic tantum inquirere, quid iustum sit, si is, qui soluit, obligatus quidem, ast non nisi in subsidium, & tamen ab eo, debitore principali nondum excusso, solutio facta, neglecta exceptione excussionis, cui non renunciauit. Hanc solutionem, pro solutione a tertio facta, habendam non esse censeo, cum hic is ipse, qui debet, soluat, sique hic casus potius ex principio §. IX. obuio diuidandus, si quaeritur, an in eo locum habeat refusio debiti soluti. Haec si applico ad solutionem debitorum feudalium a tertio factam, repetitionem debitorum feudalium, absque animo donandi a tertio solutorum, locum habere, non possum non defensere: ast buc referendum non esse casum, quo debitum feudale subsidiarium soluitur, allodio nondum excusso, a feudi possessore, qui exceptione excussionis herendum allodialium non est usus.

§. XIII.

§. XIII.

PRINCIPIVM GENERALE DE CASIBVS IN DOCTRINA DE REFUSIONE DE-
BIT. FEVD. SOLVT. A SE INVICEM DISTINGVENDIS, VEL NON.

Ex dictis nunc definiendum, quomodo casus, si quaeri-
tur de refusione debitorum feudalium solutorum, a se inuicem
distinguendi sint, & quos distingui intersit & referat, quos ve-
ro distingui nihil intersit. *Quories enim casus, qui in doctrina
de refusione debitorum feudalium solutorum a se inuicem di-
stinguuntur, in eo differunt, quod vel 1) in uno soluens seu
eius heres, fiat pauperior, & alius cum damno soluentis seu
eius heredis locupletior, in altero vero non; vel 2) in uno ca-
su ipse debitor soluat, in altero vero tertius: toties eos a se
inuicem distingui interest & refert omnino.* E contra, si ca-
sus qui a se inuicem distinguuntur tales non sunt, eos a se
inuicem distingui non relevat. Secundum hoc principivm ge-
nerale itaque nunc definiendum est, qui casus a se inuicem di-
stinguendi non sunt, licet ab aliis distingui soleant, in doctri-
na de refusione debitorum feudalium solutorum.

§. XIV.

PRIMA INVILIS DISTINCTIO.

Ad casus qui distinguendi non sunt in doctrina de refusio-
ne debitorum feudalium solutorum, refero I. *an vasallus, qui
soluit debitum feudale ab antecessore suo contractum, cuius re-*



fusio in quaestione est, sit heres eius qui id debitum contraxit, vel non. Licet enim videatur, si is qui soluit debitum feudale est heres eius qui illud debitum contraxit, eum tamquam heredem ad hoc debitum defuncti soluendum obligatum fuisse, hincque suum, non alienum, negotium gessisse, sicque nec ipsum soluentem refusionem petere posse, nec alium eius nomine, veluti heredem eius allodialem: aliter vero rem se habere, si soluens non est heres eius qui contraxit debitum solutione existetum. At enim vero cum falsum sit, & in Diff. sub Praefidio **DN. PRAESIDIS** defensa, *de successore ex pacto & prouidentia maiorum ad facta ultimi defuncti, licet eius heres sit, praestanda non obligato* Cap. III. Sec. I. satis probatum, successorem feudalem, licet simul heres sit, ideo ad facta defunctorum intuitu feudi praestanda non magis obligatum esse, quam eum, qui tantum in feudo succedit, ex dictis non sequitur, in doctrina de refusione debitorum feudalium solutorum, distinguendum esse inter soluentem debita feudalia, qui simul eius, qui ea contraxit, heres est, & qui eius heres non est. Dicendum itaque potius, sic distingui non relevare. Sit enim soluens eius, qui debitum illud feudale, quod solutum est, contraxit, heres, siue non: aequo possibile tamen est, adesse in utroque casu, facta solutione, talem, qui ex hac solutione cum damno alterius locupletior est, quam non: prout etiam hic in uno casu soluere eum, qui ipse debet, in altero vero tertium, defendi nequit,

sed

sed potius in utroque casu soluens; tanquam vasallus successor, is est qui ipse debet id quod soluit. Quae cum ita sint, vi principii generalis (§. XIII.) hi casus non sunt distinguendi. Quodsi vero in genere distingui nil interest, an soluens sit primi debitoris successor in feudo & heres simul, an non, nec relevat in primo casu cum PUFFENDORFIO l. c. (§. VI.) & HELLEFELDIO in Progr. §. VI. cit. iterum distingui, an primi debitoris heres, sit eius heres *soltarius*, an *non solus*, sed *simul cum aliis, in feudo successit*, & an tum *quilibet successor suam hereditariorum debitorum partem in se receperit*, an *non*; dum nimirum unus, data ceteris certa pecuniae summa, solus in feudo successit & debita soluit feudo inherentia. Si enim, prout hic, in genere quaeritur de refusione debitorum feudalium solutorum, an nimirum locum habeat, vel non, hi diuersi casus ita non differunt, ut differentia quae inter eos est influat in eorum decisionem.

§. XV.

SECUNDA INVILIS DISTINCTIO.

Porro II. ad casus, in doctrina de refusione debitorum feudalium solutorum non distinguendos, pertinet, *si distinguitur inter solutionem debitorum feudalium, quae facta est ex fructibus feudi, & quae ex aliis vasalli bonis facta*. Fructus feudi non habere qualitatem feudalem, sed pertinere ad vasallum eos percipientis alodium

dium, vix opus est, ut moneam. Quid itaque, quaeſo interest & refert quoad refuſionem debitorum feudalium ſolutorum, an ſolutio eorum facta ſit ex ea parte allodii quae conſiſtit in feudi fructibus, an vero ex alia eius parte. Sufficit in vtroque caſu ex allodio ſoluta eſſe debita feudalia, & hoc poſito in vtroque caſu poſſibile eſſe, per hanc ſolutionem ali-um cum ſoluentis danno locupletiorem eſſe, vel non eſſe, nec dici poſſe in uno caſu ſoluſſe eum iſum qui debet, in altero vero tertium, hincque vi principii generalis (§. XIII.) hos caſus a ſe inuicem diſtingui non releuare. Aſt inſtas, vaſallus poſſeffor obligatus eſt ad ſoluenda debita feudalia ex feudi fructibus. Rechte. Nonne vero aeque obligatus eſt ex reliquo allodio ſoluendi debita feudalia? Quis defendere potheſt eum magis obligatum eſſe ad ſoluendum debita feudalia ex fructibus feudi, quam ex reliquo allodio, vel principaliter ex fructibus, & non niſi in ſubſidium ex aliis ſuis bonis. Hoc ſi defendi poſſet, ſpeciem haberet aliquam ita diſtinguendum eſſe, ſicque, cum id defendi nequeat, ne quidem ſpeciem habet hanc diſtinctionem eſſe attendendam. At enim vero cum hac diſtinctione non confundenda eſt ea, qua vtitur **MEVIVS P. V.** **Dec. 55.** diſtinguens inter eum caſum quo ſoluens debitum feu-dale de ſuo ſoluit, & quo illud ex ipſo feudo ſeu iis mediis quae ad feudum pertinebant, ſoluit. Differre hanc Meuianam diſtinctionem ab ea quam hic impugno, per ſe patet, & eam magni-

mo-

momenti esse, ex infra dicendis patebit. E contra, cum ICris Lipsiensibus apud BERGERVM l. c. (§. VI.) distinguere inter eum casum, quo soluens debitum feudale soluit ex suo, & quo solutionis causa aes alienum contraxit, aequo inutile est, ac si inter solutionem ex feudi fructibus, & ex aliis vasalli bonis factam, distinguitur.

§. XVI.

TERTIA INVITILIS DISTINCTIO.

Male me iudice distingunt III. qui, *an sponte solutum sit debitum feudale a vasallo, an vero soluerit iudicis sententia iussus, attendunt, & pro hac differentia refusionem debitorum feudalium solutorum vel admittunt, vel reiciunt.* Cum enim, si adest, facta ab eo qui debet debiti feudalis solutione, qui inde locupletior est cum soluentis eiusue heredum damno, refusio debiti soluti locum habeat: si vero talis deest, non (§. IX.). Talem vero adesse, vel non adesse, inde non dependeat, an solutio sponte facta sit, an vero soluens iudicis sententia iussus soluerit, ita distingui non relevare in aprico iacet. (§. XIII.) Interim tamen placuit ESTORI in meletemat. de scite separandis ab allodio rebus feudalibus §. 85. ita distinguere, & in priori casu ante XXX. annos, a solutionis die numeratos, admittere, post eos vero denegare repetitionem; in posteriori ca-
su vero eam indistincte admittere.

D

§. XVIII.

§. XVII.

QUARTA INVILIS DISTINCTIO.

Ad casus quos distingui non relevat IV. referri posse defendo, *casum quo debitum feudale solutum est debitum feudale consensuatum, per cuius solutionem reluitio pertinentiarum feudarium facta, & casum quo aliud debitum feudale consensuatum per solutionem extinetur: ita ut in priori casu iterum distinguendum, an vasallus in ipsa reluitione declarauerit, quod ea, quae reluit, non iure domini, sed crediti saltem possidere ac iura cessa duntaxat acquirere velit; an vero reluitonem absque huiusmodi declaratione fecerit.* Liceret enim videatur, in priori casu tum quidem, si soluens declarauit, quod per reluitonem pertinentiarum oppignoratarum iura crediti duntaxat acquirere velit, refusionem locum habere, caeterum vero hanc repetitionem cessare: hoc tamen defendi nequit ideo, quoniam, tam in eo casu quo solutum debitum consensuatum, per cuius solutionem reluitio oppignoratarum pertinentiarum feudi facta, cum declaratione soluentis, quod duntaxat iura cessa adquirere velit, quam in reliquis casibus, fieri potest, alium fieri per hanc solutionem cum damno soluentis locupletiorem, sicut in vtroque refusionis fundamentum adesse (§. IX & XIII.). Non itaque assentire possum PLESMANO, qui in supra §. IV. citata dissertatione §. XVI. seq. ita distinguit, & praesertim in casu reluitonis pertinentiarum ideo

inter

inter casum, quo vasallus animum suum declarauit, quod ea quae reluit, non iure dominii, sed iure crediti solum posse-
dere ac iura cessâ duntaxat acquirere velit, & quo reluitio-
nem absque hac declaratione fecit, eo effectu distinguit, quod in primo casu heredes allodiales reluentis solutam pecuniam a
feudi possessore repeterem possint, quoniam per declarationem in eo factam impeditatur consolidatio eorum, quae reluuntur,
cum feudo, in posteriori casu vero, propter cessantem hanc de-
clarationem, omnino consolidatio cum feudo fiat. Resolutio
quaestionis, an refusio debitorum feudalium solutorum locum
habeat, vel locum non habeat, enim non inde dependet, an ex facta solutione oriatur consolidatio cum feudo, an vero non;
sed secundum principia §.IX. & XII. obvia fieri debet. Secun-
dum haec principia vero, taeque bene consolidatione facta,
ac ea non facta, casus existere potest, quo refusio facienda.

§. XVIII.

TRANSITVS AD SEQVENTIA.

Sufficient haec casibus in doctrina de refusione debitorum
feudalium solutorum ex mea sententia a se inuicem non distin-
guendis. Licet vero hi casus, non sint ii casus, qui a se in-
uicem distinguendi, alii tamen dantur casus, qui a se inuicem
distinguendi sunt, & hic etiam verum est, qui bene di-
stinguit, bene docet. Ut enim taceam inter feuda ex pacto
& prouidentia maiorum, & hereditaria feuda, hic distinguen-

D 2

dum



dum esse, sicque ante omnia monendum, me non nisi de prioribus loqui, si feudorum hereditariorum expressa mentio non sit: praesertim ita, prout §. VII. monui, distinguendum est; id quod ex nunc dicendis patebit, simulque ulteriores distinctiones suis locis allegandae & applicandae erunt.

CAPVT III.

DE REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLVENTORVM IN EO CASV, QVO SOLVENTIS HERedes ALLODIALES EAM VRGENT, IN SPECIE.

§. XIX.

ORDO DICENDORVM.

Casus qui praesertim in doctrina de refusione debitorum feudalium solutorum a reliquis distinguendus, is est, quo heredes soluentis allodiales repetere volunt debita feudalia a defuncto soluta (§. VII). Hic ante omnia, si quid video, distinguendum, quale sit debitum solutione exstinctum: an nimurum sit debitum feudale contractum, an vero sit debitum mere legale. Noua est, fateor, haec debitorum feudalium diuisio: ast tamen vera & satis pragmatica est. Si debitum feudale oritur ex immediata legis dispositione, nullo accidente alicuius facto, illud appello *debitum feudale mere legale*. Quodsi vero debitum feudale, non nisi interueniente quodam facto, ex lege oritur,



oritur, illud *debitum feudale contractum* dici potest. Vnde non omnino conuenit haec diuisio debitorum feudalium, cum satis nota diuisione eorum in debita feudalia *natura talia & accedente consensu* talia, a MOELLERO in *Vsu praetico distinctionum feudalium Cap. XX. Dist. II.* explicata. Sic e. g. debitum feudale ex versione ortum, est debitum feudale natura tale, neutquam vero ad debita feudalia mere legalia referri potest, sed potius ad debita contracta. Debita feudalia mere legalia iterum subdividenda esse non censo: sed potius quoad ea semper idem iustum est, in casu quo a defuncto vasallo soluta sunt, eorumque refusionem petunt eius heredes allodiales. Ast debita feudalia contracta in hoc respectu non eiusdem qualitatis sunt, dum quoad ea iterum distinguendum a quo sint contracta. Nimirum ex hoc fundamento triplicis generis sunt, dum vel *primo acquirenti*; vel *feudi possessori a quo per solutionem exsincta sunt*; vel *intermedio curdam possessori originem* debent. Secundum hanc differentiam debitorum feudalium solutorum nunc definitum, an & quando refusio eorum heredibus allodialibus soluentis fieri debeat.

§. XX.

DE REFUSIONE DEBITORVM FEUDALIVM MERE LEGALIVM.

Si debitum feudale a vasallo solutum, cuius refusionem vrgent heredes eius allodiales, est debitum mere legale, velu-

ti, si heredes vasalli allodiales repetere vellent alimenta a vasal-
lo praestita incapacibus ad successionem feudalem; vel impen-
sas in funus defuncti vasalli factas, facile definiri potest quid
iustum sit. Certissimum enim est, debitum feudale mere lega-
le omne esse onus quoddam, quod non nisi quoad praesentem
vasallum possessorum feudo inhaeret, quippe qui solus obliga-
tus est ad id praestandum, sicque debitum feudale mere lega-
le nunquam tale est, de quo dici potest eo soluto ab antecessore,
& a vasallo possessore non restituto heredibus soluentis allodia-
libus, feudi successorem cum eorum damno esse locupletiorem.
Nec minus in aprico iacet possessorem feudi qui tale debitum
soluit, esse illum ipsum qui debet, sicque hic ipsum debitorem
soluere, non tertium qui soluit pro alio. Hinc vi princ. gene-
ral. (§.IX. & XII.) heredes allodiales soluentis debitum feudale le-
gale, refusionem eius petentes, omni iuris fundamento esse de-
stitutos, & simpliciter cessare refusionem debitorum feudarium
huius generis quoad heredes allodiales eius a quo soluta sunt,
patet. Cum itaque hic omnia redeant ad veritatem principii,
ex quo probatio potissimum desumta, quod nimirum debitum
feudale legale sit tale onus feudi, quod non nisi quoad praesen-
tem vasallum possessorem feudo incumbit, sicque species debiti
feudalis respectu, de eius veritate quilibet facile se conuin-
ceret potest, qui perpendit rationem, cur huius generis debita
feudo inhaereant, esse commodum quod ex fructuum feudi
per-

perceptione vasallus possessor habet. Quae ratio, cum quadrat tantum quoad praesentem feudi possessorem, nec alium quam eum, ad talia debita soluenda obligatum esse, defendo. Sic e. g. ex nulla alia ratione inhabilibus ad successionem debentur alimenta ex feudo, quam quoniam fructus feudi lucratur feudi possessor, qui vel plane non, vel non solus, eos perciperet si inhabilis ad successionem habilis esset.

§. XXI.

DE REFUSIONE DEBITORVM FEUDAL. SOLVT. CONTRACTORVM

1) A PRIMO ACQVIRENTE.

Mitto debita feudalia mere legalia, cum hic omnia per se clara, & me conuerto ad debita feudalia contracta I. ea,
quae primo acquirenti originem debent (§. XIX. quorsum refero 1)
 residuum pretii quo feudum emptum; 2) pecuniam ad feudum emendum mutuo acceptam; 3) legitimam ex feudo nouo filiabus praestandam; 4) debita a primo acquirente post acquisitionem feudi contracta, pro quibus feudum oppignoratum est. Quodsi nunc ponis, vasallum possessorem vnum alterumue horum debitorum soluisse feudumque ab iis liberasse, tum soluisse debitum qui ad illud soluendum obligatus erat, certum est, sicque secundum regulam (§. IX.) hic cessare deberet omnis refusio, & nec heredes soluentis allodiales repetere possent debitum a defuneto vasallo possessore, cuius heredes sunt, solutum. Subscriberem itaque
 huic



huic sententiae, nisi manifestum esset, in hoc casu exceptio-
nem a regula supra (§. cit.) admissam locum habere. Cum
enim certum sit praesentem possessorem, uno alteroue tali de-
bito, de quo loquor, soluto, per successionem in bona feuda-
lia plus acquisiuisse, quam a primo acquirente ei relictum, &
haberet, si talium debitorum solutio facta non esset, eum esse
locupletiorem, quam esset, si debita haec feudo adhuc inhae-
rerent, nemo negabit. Quod vero locupletior sit cum damno
aliorum, & quidem in hoc casu cum damno heredum allo-
dialium eius, a quo solutio facta, toties verum est, quoties sol-
uens ex suo soluendo feudum a debito tali liberavit. Si itaque
verum est principium, toties refusione debitorum feudalium
solutorum locum habere, quoties adest, qui inde, quod solu-
ta sint, locupletior est cum alterius damno (§. cit.), neminem mihi
assensum denegaturum esse spero, si defendo: *heredibus allo-*
dialibus defuncti feudi possessoris ius competere, repetendi ex
eius allodium soluta debita feudalia contrafacta quae a primo ac-
quirente originem ducunt, seu ab eo contrafacta sunt, a vasallo
possessore qui vi descenditiae a primo acquirente feudum per
successionem acquisiuit. Ast, cum dictae rationes cessent, si 1)
quod tamen rarissimum, defunctus non ex allodium seu in gene-
re ex suo, sed, ut loquitur MEVIVS P. V. Dec. 55, ex feu-
do seu iis mediis quae ad feudum pertinebant, soluit; 2) feendum
ad dominum iure aperturae reuersum & nunc penes eum est; 3)
vasal-

vasallus possessor feudum non vi descenditiae a primo acquirente acquisiuit, in his casibus heredibus allodialibus non competit ius repetendi debita feudalia a defuncto vasallo possessore, cuius heredes allodiales sunt, soluta.

§. XXII.

2) AB IPSO SOLVENTE.

Sequuntur II. debita feudalia contracta, quae ab ipso illo vasallo, qui ea soluendo feudum iterum ab iis liberauit, antea contracta erant. Si nunc oritur quaestio: an heredes eius allodiales repetere possint debita haec feudalia a defuncto vasallo, cuius heredes allodiales sunt, soluta, & a quo ea repetere possint? iterum certissimum est, solutionem hic factam esse ab ipso debitore, non a tertio qui pro alio soluit. Cum itaque in hoc casu cesseret in regula refusio debiti feudalis soluti (§. IX.) & casum, in quo locum habet exceptio, hic concipi non posse videatur, omnino hic regulae inherendum esse, nec dari casum exceptum, cum magna specie defendi posset. Me iudice vero simpliciter defendi nequit, cessare in hoc casu in totum refusionem debiti feudalis soluti. Distinguendum potius, an solutione extinetum debitum, ex adhuc existente versione, vel in ipsius feudi, vel in successorum feudalium, utilitatem ortum, an non. In priori casu heredes allodiales soluentis, licet soluens ipse contraxerit debitum solutum, repetere pos-

E

funt,

sunt quod solutum, & quidem, si versio in ipsum feudum facta, a quolibet possessore feudi, siue sit vasallus, siue dominus ipse: si vero versio non nisi in utilitatem successoris feudalis facta, non nisi ab eo feudi possessore, cuius utilitati inde prospectum est. In hoc casu enim fundamentum refusonis debitorum feudalium, in casu quo ab ipsis eo, qui debet, solutio facta (§. IX.), adesse, per se patet. Ast in posteriori casu contrarium defendendum, in eoque cessat in totum refusio debiti feudalis soluti, nec possunt heredes allodiales repetere quod solutum, quoniam in eo cessat fundamentum refusonis debitorum feudalium solutorum in casu tali, quo is ipse qui debet, soluit debitum (§. cit.). Pone e. g. vasallum possessorem habere feudum meliorandi exoptatam occasionem, ast pecunia impendenda de praesenti esse destitutum. Contrahit itaque aes alienum, & dum pecuniam mutuo acceptam vertit in feudum, illud onerat debito feudali contracto. Soluit tamen expost hoc debitum contractum ipse, & moritur reliquis filiabus heredibus allodialibus, agnatus vero succedit in feudum. Nonne hic agnatus est cum damno filiarum defunctori vasalli locupletior? Nonne itaque iniustum esset filiabus denegare repetitionem debiti a defuncto patre soluti, licet ipse contraxerit? Ast pone contraxisse defunctum vasallum debitum feudale per quod nulla in feudum versio facta, ab eo tamen ante mortem debitum hoc expunctum esse, ex quo fundamento repe-

repeteret vellent filiae hoc debitum solutum? Nullo modo tum dici potest agnatum succedentem esse cum earum damno locupletiorem, cum nec in eius utilitatem versio facta, nec negotiorum gestio hic concipi possit, nec denique aliud fundamentum adest, ex quo defendi potest agnatum, qui nunc possidet, locupletiorem esse, multo minus talem esse cum danno filiarum.

§. XXIII.

3) AB INTERMEDIUM QVODAM POSSESSORE.

Quod attinet III.) debita nec a primo acquirente contracta, nec ab ipso illo vasallo, qui eorum solutione feudum iterum liberavit ab hoc onere, sed ab intermedio quodam feudi possessore: si ea a defuncto vasallo, cuius heredes allodiales petere volunt, soluta sunt, circa eorum refusionem dictis heredibus allodialibus faciendam idem iustum est, quod in casu praecedente iustum esse diximus. Si enim debitum per solutionem extinctum in ipsius feudi seu successorum feudalium utilitatem versum est, an sit ab ipso eo, a quo expunctum, contractum, an vero a tertio, si quaeritur de eius refusione, nil interest & refert. Interim tamen hi duo casus ideo doctrinae gratia a se inuicem distinguendi erant, quoniam in casu praecedente maiorem habet speciem refusionem in totum cessare, quam in hoc.

E 2

§. XXIV.



§. XXIV.

S V M M A D I C T O R V M .

Ex hac tenuis dictis nunc patet, vt, quae dicta sunt, in summam contraham, ex mea sententia problema illud iuris feudalis: *num debita feudalia a vasallo soluta heres allodii a successore in feudo repetere queat?* ita resoluendum esse. Si debitum solutum, est debitum mere legale, heres allodii illud a successore in feudo repetere nunquam potest. Si vero debitum solutum est debitum contractum, quando est debitum a primo acquirente in ipsa acquisitione contractum, vel licet ab alio contractum, adeo tamen versio in feudi ipsius vel successoris feudalis vtilitatem facta, heres allodii illud repetere potest. Quocunque aliud debitum contractum vero ab herede allodiali eius a quo solutum repeti nequit. Idem & breuius potest sic enuntiari: heres allodii debitum feudale a defuncto solutum non nisi in duobus casibus repetere potest: 1) si est debitum quod a primo acquirente contractum; 2) licet tale debitum non sit, versio tamen in feudi ipsius, vel successoris feudalis vtilitatem facta. Plures enim casus admitti posse nec ego defendo. Cum vero dubia quaestio sit: *quid sentiendum de debitis feudalibus consensuatis?* de ea quaedam addenda.

§. XXV.

DE REFVSIONE DEBTORVM FEVDALIVM CONSENSVATORVM.

Si debita feudalia consensuata talia sunt quae a primo ac-

VIZZ.

qui-

quirente contracta, quatenus ea, si soluta sunt ab alio, ab eius heredibus allodialibus repeti possint ex superioribus (§. XXI.) iam constat. Quodsi vero talia non sunt, distinguendum est, an consensu eius, a quo heredes allodiales soluentis refusionem pertinet, munita, an non. *Si prius semper refusio eorum locum habet, siue soluens ipse ea contraxerit & ex post iterum soluerit, siue sint ab antecessore eius contracta.* Quis enim negabit, solutione debiti consensuati, consensu eius, qui nunc possider feudum cui inhaerebat, muniti, possessorem factum esse locupletiorem, cum, siue debitum consensuatum habeas pro debito feudali subsidiario, siue, cum rectius sentientibus, in casu quo specialis hypotheca in feudo constituta, pro necessario, vi consensu possessor debitum solutum, si solutum nondum esset, soluere deberet, sicque per iam factam solutionem impediatur patrimonium suum non diminui. Vnde vi principii generalis (§. IX.) nullo modo a refusione huius debiti soluti se liberare potest. Id quod & inde patet, quod, si debitum non solutum esset ab antecessore, cuius heredes allodiales nunc refusionem vrgent, creditoribus feudalibus obligatus nunc esset feudi possessor ad debitum expungendum. Prout itaque his solutionem denegare non posset, ita nec restitutio-
nem denegare potest heredibus allodialibus. Ast si posterius, videlicet, *si debitum consensuatum solutione extinctum non erat consensu praesentis possessoris munitum, soluentis ante-*

cessoris heredes allodiales fruſtra petunt huius debiti soluti, licet caeterum consensuatum sit, refuſionem a praefente feudi poffeffore. Nec in hoc caſu diſtinguo an praefens vaſallus fit heres vaſalli qui ſuo conſenſu debitum muniuit, an non, ſed licet etiam eius heres fit, quod dixi locum habere defendo. Ita vero ſentio, non ex eo fundamento ex quo alii idem defendere ſolent, quoniam nimirum ſoluens debitum consensuatum ſoluit quod ipſe debet, tum vero ceſſare refuſionem; quippe quod non admitto: ſed ex eo fundamento, quoniam in hoc caſu nequidem dici potest vaſallum praefentem per talem ſolutionem locupletiorem fieri, multo minus eum cum danno here dum allodialium ſoluentis eſſe locupletiorem, ſub quibus circumſtantiaſi ceſſat refuſio debitorum feudalium ab ipſo eo, qui debet, ſolutorum (§ IX.). Locupletiorem eum non eſſe inde, quod iplum patrimonium eius per ſolutionem horum debitorum feudalium auctum fit, per ſe patet. Aſt eum & inde locupletiorem non eſſe, quod patrimonium ſuum non diminuat, inde patet, quoniam ſuccelator, qui ipſe non conſentit in debitum consensuatum, licet etiam heres conſentientis fit, ſecundum veriorem ſententiam ad debitum consensuatum, ſi etiam nondum ſolutum eſſet, ſoluendum non obligatus fieret per ſucceſſionem in feudo. Cum itaque praeter hos duos modos tertius concipi nequeat, quo quis locupletior fieri po-
eft, probatum eſt quod probandum erat. Caeterum non po-
ſum

sum non quin moneam, male cohaerere eorum doctrinam, qui ex consensu antecessorum, quorum heredes sunt, obligant possessores ad debitum feudale consensuatum ex feudo solendum, & nihilominus negant, hoc debito ab antecessore soluto, eius heredibus allodialibus competere ius repetendi debitum solutum a praesente feudi possessore, qui tamen, stante hac hypothesi, soluere deberet, nisi iam solutum esset, hoc debitum.

§. XXVI.

RESPONSO AD QVASDAM OBJECTIONES.

Cum itaque, prout ex haec tenus dictis pater, non semper faueam heredibus allodii debitum feudale solutum repetentibus, nec tamen semper causam eorum deseram, me tangit, tam ea obiectio, qua patroni eius sententiae, quod heres allodii repetere nequeat debita feudalia soluta, contraria absurdam esse probare volunt: quam ea, qua affirmantes heredibus allodialibus competere ius repetendi debita feudalia soluta, contra contrarium defendantes idem tentant. Videlicet, qui defendant heredibus allodii non competere ius repetendi debita feudalia soluta, iis qui hoc affirman, obiciunt, ex sua sententia hoc absurdum fluere, quod, prout primi soluentis heredes allodiales petere possunt refusione debiti feudalis soluti, ita & restituentis heredes allodiales idem petere posse ab eo qui restituenti in feudo succedit, & facta ab hoc refusione, nec eius

he-



heredibus allodialibus denegari posse ius, quod solutum iterum repetendi a nunc succedente in feudo, & ita in infinitum, donec omnes, qui ad successionem feudalem vocati, extinti erunt. E contra, qui affirmant heredibus allodialibus competere ius repetendi debita feudalia soluta, negantibus obiiciunt, ex sua sententia hoc absurdum fluere, vasallum feuda a feudalibus debitis nunquam esse liberaturum, nisi numerosam prolem masculam habeat, cum praeuideat, se, mascula prole deficiente, filiarum, & in genere heredum allodii, conditionem deteriorem, agnatorum vero, cui raro plus fauebit quam liberis, conditionem meliorem facere, si debita soluta heredibus suis allodialibus post mortem non refundenda. Licer vero negari nequeat, tam vnum quam alterum incommodum, neutiquam vero absurdum, quod diuersas sententias propugnantes ex iis oriri sibi obiiciunt, omnino inde sequi posse: inde tamen, si quid video, vna vel altera sententia tamquam iniusta reiici nequit. Prout enim sola utilitas non facit ius: ita vnum alterumue incommodum, ex sententia in legibus caeteroquin fundata proueniens, ius deesse, efficere nequit. Praeterea, quod praesertim attinet eam sententiam quam ego defendo I. in casibus, in quibus heredes allodii refusionem debitorum solutorum petere posse defendo; 1) quoad debita a primo acquirente contracta, allegatum incommodum euitari potest, si praesentia familiae membra ad euitandas, quae in familia inde oriri possunt, lites,

con-

coniunctim soluunt, aut ex suo, aut ex feudo seu iis mediis
quae ad feudum pertinent, debita feudalia quae a primo acqui-
rente contracta sunt; 2) quoad debita ex versione orta vero
hoc incommodum saepius per se cessat, dum id quod versum
est non amplius existit, sive ex hoc fundamento, heredes
allodiales restituentium quod a primo soluente solutum, nihil
petere possunt. Quod vero attinet II. casus in quibus refu-
sionem heredibus allodialibus faciendam esse nego, dictum in-
commodum; 1) quoad debita mere legalia semper cessat, cum
eorum solutio non dependeat ab arbitrio possessoris feudi: id
quod etiam 2) quoad debita consensuata saepissime efficit di-
ctum incommodum inde non oriri, dum, creditore solutionem
vrgente, vasallus vel inuitus ad debita consensuata soluenda co-
gitur. Quot praeterea non dantur boni patresfamilias, qui,
vt ab usurarum onere liberentur, sponte soluunt haec debita
feudalia? Quot non dantur feudorum possessores, qui, quo-
niam iis filius & flos familiae suae curae cordique est, etiamsi
prole mascula sint destituti, tamen toti in eo sunt vt feuda libe-
rent a debitis feudalibus iis inherenteribus?

F

CAPVT



CAPVT IV.

DE REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM SOLV-
TORVM IN RELIQVIS CASIBVS IN SPECIE.

§. XXVII.

DE REFVSIONE DEBITORVM FEVDALIVM AB HEREDIBVS
ALLODI SOLVATORVM.

Hactenus de casu in quo heredes allodiales repetunt debita feudalia ab aliis soluta. Nunc de reliquis casibus agendum (§. VII., inter quos primus is est, quo itidem heredes allodiales refusionem debitorum feudalium solutorum petunt, ast non ab aliis, sed ab ipsis his heredibus allodialibus, solutorum. Hic distinguendum est inter debita feudalia *necessaria* & *subsidaria*. Si prius, habes casum quo solutio a tertio facta, quoniam ad debita feudalia necessaria soluenda, non nisi ii, qui feudum habent, obligati sunt, nulla habita ratione, vtrum ex allodio expungi possint, nec ne. Cum itaque, si tertius soluit debitum feudale, semper locum habeat refusio debiti feudalis soluti, nisi animo donandi solutio facta sit (§. XII.), facile patet *si ab heredibus allodialibus defuncti vasalli solutio debiti feudalis necessarii facta est, refusionem locum habere, nisi animo donandi factam esse solutionem probari possit.* In casu posteriori vero, nimirum, si debitum feudale ab herede allodiali solutum est debitum feudale subsidiarium, neutiquam a

ter-

tertio, sed ab ipso illo qui debet, solutio debiti feudalis est facta, unde, per se patet hunc casum secundum principium §. IX. esse diiudicandum, quo posito *non potest non hic cessare refusio debiti feudalis soluti*, cum per solutionem debiti feudalis subsidiarii ab herede allodii factam, alterum cum damno soluentis locupletiorem factum esse, cogitari nequeat.

§. XXVIII.

DE REFUSIONE DEBITORVM FEVDALIVM A PRAESENTI FEVDI POSSESSORE SOLVTORVM, EI FACIENDA.

Cum tanta luce radiet, quid iustum sit in casu primo circa refusionem debiti feudalis soluti, statim progredior ad casum secundum, in quo ipse praesens possessor feudi, solutionis debiti feudalis a se ipso factae, refusionem urget. *In hoc casu cessar, si solutum debitum feudale est necessarium seu purum & absolutum, refusio soluti debiti feudalis.* Idemque valet de debitis necessariis & respectiuis respectu eius qui ad ea soluanda obligatus est. Ob debita feudalia necessaria & absoluta enim actio statim ab initio contra quemcunque feudi possessorem, sive sit is qui debitum contraxit eiusque descendens, sive agnatus, sive dominus ipse, competit, omni cessante exceptione excussionis, per prima iuris feudalnis principia. Hic itaque adeo casus in quo solutio ab eo ipso, qui debet, facta, ita ut nullum inde, quamdiu soluens feendum possidet, redundet

F 2

in

in nullum alium, ne quidem in casu quo ipse non contraxit debitum, emolumenntum, & qui ita soluit quod debet, is contra neminem habet regressum (§. IX.). Sed pone vasallum possessorem soluisse debitum feudale subsidiarium. Tum distinguo: aut soluit a creditore non conuentus sponte, aut a creditore conuentus soluit, tumque, aut opposuit exceptionem excussionis heredum allodialium, aut non. Si vasallus possessor soluit debitum feudale subsidiarium sponte, aut a creditore feudali conuentus non opposita exceptione excussionis heredum allodialium, refusionem debiti feudalis soluti ab heredibus allodialibus petere potest, nisi in utroque casu probari possit, eum animo donandi soluisse hoc debitum. Si vero soluit a creditore feudali conuentus, opposita quidem exceptione excussionis, sed frustra, debiti soluti refusionem petere nequit. In posteriori casu refusionem ipsi soluenti possessori feudi faciendam cessare per §. IX. patet, cum eum, frustra opposita exceptione excussionis heredum allodialium, debitum feudale, licer subsidiarium sit, soluentem, soluisse quod ipse iam nunc debet, certum sit, & hic neminem cum damno suo locupletiorem esse, itidem in aprico iaceat. Quod vero attinet priorem casum, is ideo dubius est, quoniam, si nondum excusso allodio debiti feudalis subsidiarii solutio a feudi possesso fit, adesse casum quo solutio a tertio cum animo donandi facta, videtur. Tali modo solutione a tertio facta ve-

ro,

ro, cessat repetitio debiti a tertio soluti (§. XII.). Vnde non solo
 lum KLEINSORGHIVS in *Diss. §. II allegata Cap. IV. §. II.*
 sed & STRVIVS in *Syntagma Iur. Feud. Cap. XIV. §.
 XXIV. num. 5.* defendunt, agnatos, qui debita feudalia con-
 sensuata, quae iis sunt debita subsidiaria, non opposita exce-
 ptione excussionis, soluunt, repeterem non posse solutum ab here-
 dibus allodialibus. At enim vero, cum sponte facta solutio
 debiti feudalis subsidiarii a praesente feudi possessore, vel, si
 conuentus a creditore feudali soluit vasallus, omissio exceptio-
 nis excussionis heredum allodialium, non sint eius indolis, ut in-
 de tuto concludi possit ad animum donandi, ne tum quidem,
 si soluens hic pro tertio haberi possit, cessaret refusio huius de-
 bitti ab heredibus allodialibus facienda, antequam animus do-
 nandi probatus (§. XII.): multo minus itaque hic refusio cel-
 sat, cum solutio debiti feudalis subsidiarii a vasallo possessore
 sponte, vel si conuentus, non opposita exceptione excussionis,
 facta, sit potius solutio ab ipso illo, qui debet, quam a tertio
 facta (§. X.), cit. in tali solutione vero locum habeat refusio de-
 bitti soluti, si alias per eam cum damnō soluentis locupletior fa-
 ctus (§. XIX.), quales hic esse sub data hypothesi heredes al-
 lodiales, qui soluere debuissent & potuissent, si debitum sponte
 non solutum, vel exceptio excussionis esset opposita, vltiori de-
 monstratione non indiget. Nisi itaque factam esse solutionem debiti
 feudalis subsidiarii probari possit donationis gratia, non video quid

G

libe-



liberare posset heredes allodiales a' refusione debiti feudalis
sic soluti. Hinc **SCHRADERVS de Feudis P. 7. Cap. 7.**
num, 24. recte defendit agnatum oppignoratum feudum rel-
uentem, hoc debitum solutum a vasalli heredibus posse re-
petere.

§. XXIX.

DE REFUSIONE DEBITORVM FEVDALIVM A FVTVRO FEVDI POS-
SESSORE SOLVITORVM, EI FACIENDA.

Sequitur tertius casus in quo solvens debitum feudale est
futurus possessor feudi, veluti agnatus; simultaneo inuesti-
tus, immo ipse dominus, ad quem in casu aperturae reddit feu-
dum, quem sub hoc nomine, ut breuitati studeam, hic com-
prehendere liceat. Ut vero pateat hunc casum esse dabilem,
isque ante omnia illustretur, hic praesupponendum est existere
concursum tam allodiale, quam feudalem. Quodsi nunc fu-
turi feudi possessores, ad auertendam necessariam feudi aliena-
tionem creditoribus feudalibus satisfecerunt, extingendo per
solutionem debita feudalia, habes casum, quo debita feudalia,
de quorum refusione quaeritur, soluta sunt a futuris possessori-
bus feudi. Licer vero videatur, qui sic tanquam tertii sponte
soluerunt debita feudalia, licet tertii sint, tamen non habere
ius ea repetendi, sed contentos esse debere finem, ob quem
debita feudalia soluerunt, obtinuisse, videlicet sibi suisque ius

ali-

aliquando succedendi in feudum, per hanc solutionem esse conseruatum. Porro dici posset, deesse a quo repetere possunt futuri possessores feudi debita feudalia ab iis soluta. Frustra enim eos pulsare creditorum feudalium, qui in sinu gaudebunt soluta esse debita, ostia, per se patet. Ipse vasallus possessor nihil habet in aere, dum feudum tamquam allodium, aere alieno ita grauatum, ut existat concursus creditorum quoad vtriusque generis bona. Nec dubium hoc cessare videtur, si dicere velles, feudum tamen non alienatur, sique supersunt fructus feudi, ex quibus successive refusio debitorum feudalium solutorum fieri potest. Nam fructus feudi pertinent ad allodium, sique de creditorum allodialium hic luditur corio. Hi vero instabunt, quid ad nos refusio debitorum feudalium a futuris successoribus feudalibus solutorum, ut feudi substantia conserueretur, & ius eorum aliquando succedendi in feudum. Quamdiu feudum manet penes debitorem nostrum, durat nostrum ius in percipienda ex fructibus feudi solutione. Haec, licet magnam habeant speciem, non inuita Themide tamen defendi posse mihi persuasum habeo: *futuris successoribus feudalibus qui, feudo debitis feudalibus onerato, ad euitandam eius alienationem creditores feudales sua dimitunt pecunia, ius competere ex fructibus feudi, excluso concursu allodiali, successore recuperandi soluta debita feudalia, sique & hic adesse vasum refusionis debitorum feudalium solutorum aliis, prae-*

G 2

ter

ter heredes allodiales soluentis, facienda. Cum per se patet, in hoc casu soluere tertium pro alio, siveque per §. XI, quantum de animo donandi non constat, locum habere refusionem debitorum solutorum: hic tantum euincendum ex feudi fructibus refusionem fieri debere. Suppono vero, dum hoc defendo, 1) alios non adesse qui ius pignoris in fructibus feudi habent constitutum antiquius; 2) creditores feudales, seu in eius locum succedentes futuros feudi possessores debita feudalia expungentes, separationis beneficio, quod iis competit omnino, esse vlos. Prioribus creditoribus enim ius suum interuerti non posse, per se patet. Vtus beneficii separationis vero operatur, feudalia bona nunc separatam ab allodialibus bonis massam constituere. Licet itaque fructus feudi non habeant qualitatem feudalem, nec inde, quod separatio bonorum feudalium ab allodialibus facta, fructus feudi eatenus mutent suam naturam, quod nunc accipient feudalem qualitatem: alia tamen quaestio est: annon sub hoc rerum statu, quo debitoris allodialia & feudalia bona non amplius unum corpus bonorum constituant, dicendum, allodiali concursui nullum amplius ius competere intuitu fructuum feudi, licet qualitatem feudalem non habeant? Ad hanc quaestionem affirmative respondendum esse defendo ideo, quoniam fructus feudi sunt feudi accessorium, si itaque separata sunt allodialia & feudalia bona, ita, ut diuersas massas constituant, ex quibus diuersi creditores confe-

qui

qui debent quod iis debetur, plus rationis est accessorium referri, quatenus de solutione debitorum ex eo facienda quaestio est, ad eam partem seu massam ad quam pertinet principale, quam illud referri ad alteram partem seu massam, quae constituitur per res principales ab ea diuersas. Quis vero non videret, sic decisâ hac quaestione, inde sequi futuris possessoribus debita feudalia soluentibus, denegari non posse ius cum exclusione concursus allodialis repetendi debita feudalia soluta ex feudi fructibus. Interim fateor, vltiorem disquisitionem mereri hoc problema, nisi B. L. remittere possem ad duas disputationes sub **HELLFELDIANO** praesidio defensas, quarum supra §. V. mentio facta, & ex variis rationibus huic speciemini nunc subscribendum.

T A N T V M

ERRATA QVAEDAM:

Pag. 6. rubro §. III. pro *Sec. XVII.* lege: *Sec. XVIII.* Pag. 8 lin. 11
pro *quas* l. quod et lin 12, pro *inferia* l. insertum. Pag. 14 in rubro
§. IX. pro *a* l. ab. Pag. 16 lin. 16 pro *praeuidio* l. *praeuideo*.



DOCTISSIMO
C A N D I D A T O
FRATRI SVO OPTIMO
S. P. D
GERGIVS LVDOVICVS VRSINVS.
OPPONENS.

*E*go vero, Frater suauissime, licet, **TIBI** animum meum, quantus quantus sit, optime notum esse, et **TE** de meo in **TE** amore non dubitare, persuasus sim, tamen religioni mibi ducerem, hoc die **TIBI** solemnni plane silere. Non opus est, nec meum esse puto, ut prolixae laudes **TVAS** enarrem, nam **TV** ipse eas a me non expectabis, nec alias quisquam facile fidem babebit laudibus fratri a fratre enarratis; est potius, ut **TIBI** gratuler de fesici studiorum **TVORVM** academicorum exitu, et de secundis in Iurisprudentia progressibus, quos abunde dissertatio, quam eruditorum examini subiicis, testatur. Ceterum vale, et vii semper fecisti me amare perge. Dabam Hala die 14. Maii MDCLXX.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CHRIST. IAC. BECKER

BEROLINENSIS, OPPON.

Permittas mihi, Domine PRAENOBILISSIME, basice lineolas dissertationi huic doctissimae subiungere, quibus amorem ac obseruantiam, qua ego te ob praclaras TVAS virtutes semper colui, & propter quas omnes, quibus illae cognitae sunt, TE magni aestiment necesse est, publico consignem testimonio. In eorum numero, quos ad amorem TVI ardentissimum animus TVVS optimis exornatus virtutibus allexit, cum ego nemini facile cedam, non possum quoque TIBI de noua laudum TVARVM accessione non ex animo gratulari, quae ob industriam ac doctrinam, quam in publico hoc certamine satis evidenter demonstrasti, merito TIBI debetur. Gratulor TIBI etiam de studio iurisprudentiae feliciter absoluto, gratulor illustri TVAE familiae de novo splendore, quo eam illustrabis, gratulor patriae de novo ornamento atque praesidio, quod in TE habebit, gratulor denique omnibus, qui sincero TE prosequuntur amore, de eo, quod spem eorum de TE optime conceptam non defraudasisti sed superasti. Faxit modo numen benignissimum, ut omnia TVA studia ovesque conatus TVI prospere TIBI succedant. Vale, summa cum laude, quam optimae TVAE virtutes merent, vale meque amore TVO, quem hic usque monstrasti in posterum ne non dedigneris, rogo. Dabani Hatae Magdeburgicae. Pridi die iduum Maii MDCCCLXX.

VIRO

LIBERALITATIS DOCTRINAE
O R I O

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

THEODORO THEOPHILO VRSINO

AMICO OPTIMO

C. B. V B E R

VRATISLAVIENSIS.

*E*xantlatis igitur academicis feliciter laboribus, de quibus ex tua mente tibi gratulor, publica praeterea excimiae tuae diligentiae eruditissime specimina censes? Laudandum sane propositum, imitandumque, idque eo magis, quo minus istud alius arridere solet, qui ut laudabile hoc maiorum nostrorum institutum sequuntur, tantum abest, ut potius aut idem spernant, aut, nescio quanam ex causa, quouis modo evident. Ad me autem quod attinget, insignem voluppatem capio ex tua humanitate, honorique maximo mihi duco, quod me munere contra incensis non indignum existimaueris. Itaque grata laetissima mente hanc tam optatam, qua suauius, qua dulcius mihi accidere nihil hisce temporibus potest, ambabus quasi manibus arripio occasionem, quem tanen non tam aduersarium habebis, quam porius publicae tuae victoriae testem. Gratulor tibi vehementer de acquirendo sine dubio auditorum publico applausu, gratulor tibi de consequendis exinde honoribus, gratulor patriae tuae de tali eius, gratulor tandem et mihi, quod me publicum testem eruditissimus tuae esse voveris. Vale, omniaque ex votis tibi et in posterum cedant. Vale, Optime Ursine, mitique fauere perge. Scribbam Halaec Saxonum, die XIV. Maii, c. 1770.

O R I O

Halle, Decr., 1770

V.D.
18

ULB Halle
002 169 55X

3



5b



3
P. D. B. V.
DE
REFVSIONE
DEBITORVM FEVDALIVM
SOLVTORVM.

PRAESIDE

DANIELE NETTELBLADT

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONS. INT.

ET PROF. IVR. ORD.

D. XVII. MAI. ANNI MDCCCLXX.

DISPV TABIT

THEODORVS THEOPHILVS VRSINVS.

REGIOMONTO - PRVSSVS.

HALAE

LITTERIS BEYERIANIS.

